



# **Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...**

In Dominicas totius anni

**Schrötter, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

Concio I. In Dominica I. Advent. Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli potestate magna & Majestate. Luc. 24. Arg. Janus bifrons, seu, Præstat videre in hac mortalitate faciem irati, ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)



CONCIO I.  
IN DOMINICA I. ADVENTUS.

Tunc videbunt Filium hominis venientem  
in nubibus cæli cum potestate magna  
& Majestate.

*Linc. 240*

ARGUMENTUM.  
JANUS BIFRONS,  
S E U

Præstat videre in hac mortalitate faciem  
irati, quàm placati Numinis.



l. Tudiofissima re-  
rum indagatrix,  
ac neporum su-  
orum magistra  
Antiquitas, non  
citra fingulare  
sacramentū re-  
nascens anni  
auroram à Jano bifronte auspicari vo-  
luit. A. Vel enim inconstantiam tem-  
porum adumbrare hoc hieroglyphico  
gestiit, quæ nunquam tam concolori

incedit vultu, quin illum jam in rosas,  
ac lilia explicet; jam in amarantos &  
carduos exasperet. Vel ipsammet fa-  
ciem nostram sub hac imagine spectan-  
dam proposuit, prorsum quidem vitæ,  
retrosum Libithinæ vultum circum-  
ferentem. Vel certè prudentiam, fu-  
tura prospicientem, præsentia perspi-  
cientem, præterita respicientem, illis  
coloribus distinxit.

Consultissimi enim Viri est, tempo-  
rum catastrophas expendere, ac rebus  
A suis

luis cautè, ac maturè prospicere. Ne-  
quiter sibi consultit, quisquis nec pro-  
spicit, nec retrospicit. Prudentiæ cha-  
racter est, meminisse præteritorum, a-  
gere præsentia, futura præcavere.

Ad eundem modum redordiri mihi  
S. Mater Ecclesia videtur anni sui auro-  
ram, quando sub eandem Christum no-  
bis vultu Agnino, ac Leonino prosti-  
tuit. Agnino quidem, revocando no-  
bis misericordissimum illius ad nos vin-  
dicandos in carne adventum. Leonino  
autem, iudicium venturum proponen-

*Ion. 3, 17.*  
*Luc. 21.*  
do. Agnino, quando venit, non ut ju-  
dices mundum, sed ut salvetur mundus  
per ipsum. Leonino, cum dicitur: *Tunc  
videbunt Filium hominis venientem in  
nubibus cali, cum potestate magna, &  
Majestate.*

Utramvis hanc faciem jam olim I-  
saïas Vates oraculo suo strinxerat, de  
hoc piissimo pronuntians mysterio:  
*Attendite ad me, popule meus, prope est  
Iustus meus, egressus est Salvator meus,  
brachia mea populos iudicabunt.* O ad-  
mirandum mysterium! ô ineffabile sa-  
cramentum! Itane vultum Agni intueri  
nefas citra vultum Leonis; vel Leonis  
citra Agni? Itane balatum hujus citra  
rugitum alterius audire periculosum?  
Itane Servator non expectandus sine  
Iudice? Rectè equidem; ne fortè Asser-  
toris intuitu, ac Agni balatu confusi, ni-  
miùm præsumamus; aut Iudicis aspe-  
riore aspectu, ac Leonis rugitu percussu  
desperemus.

Sed cur vultus Agni quadantenus  
obducitur, & non nisi sacrificiis, ora-  
tionibus, meditationibus præfigitur;  
Leonis verò propalam in exedris, in E-  
vangeliis tubâ evangelicâ, exulgarur?

Num præstat non audire rugitum Leo-  
nis, quàm balatum Agni? Num salubrius  
est isthic contemplari faciem irati,  
quàm placati Numinis? Num beatius,  
divinâ Nemese percelli, quàm miseri-  
cordiâ, ac clementiâ ipsius palpari? Id  
quum in argumentum allocutionis  
meæ assumo, à te bone JESU placati  
oris gratias enixè efflagito.

§. I.

*Agni vultus extollitur.*

II. Cuius prope, recolenti jucun-  
dissimum adventantis in carne  
Assertoris nostri memoriam, videbitur  
prima fronte Agno potiùs, quàm Leo-  
ni; mansuetudini & amori satiùs, quàm  
severitati, ac timori in attrahendis ani-  
mis palma deferenda. Nam cum vene-  
rit ille quærere, & salvum facere quod  
perierat, piè credendum est, illam fa-  
ciem exhibuisse Orbi, quam noverat in  
eum finem efficacissimam; eam verò  
exclusisse, quam impedimento futuram  
perspexerat. Eam enim efflagitabat  
zelus ipsius immensus, quo ferebatur  
ad nos vindicandos, & finis ipse, quem  
adventu suo intenderat.

At quænam illa exitit? Leonisne, an *Christi*  
Agni? Adventanti quondam in Beth- *adventus*  
leem Samueli summo Antistiti, effusi *pacificus.*  
obviam Summates oppidi illius, & qui-  
dem metum inter, ac gaudia fluctuan-  
tes, sciscitati sunt: *Pacificusne est ad-* *1. Reg. 16.*  
*ventus tuus?* q. d. Inexpectatus adven-  
tus adventus Sanctitatis vestrae, quanto  
nos solatio parte ex una afficit, tanto ex  
altera metu exagitat, ac percellit. Com-  
plemur gaudio, quòd parentem, ac  
Præsu-

IN DOMINICA I. ADVENTUS.

Præsulem sanctissimum hospitem in coram intueri liceat, concutimur timore, quòd nos fallat, qua de causa venerit, an cum caduceo hospitem, an cum fulmine vindicem præsentem veneremur. Incompertum, an tanquam à feciale belli expavescere; an tanquam à Mercurio pacis erecti latari debeamus. Age itaque, Pater beatissime edic: *Pacificusne est adventus tuus?* Agnæ manfuetissimi, an Leonis metuendi vultum præfers?

Venit ad nos etiamnum novus Samuel hospes, & in Bethleemi antrum deflexit. Si controvertimus, qua fronte venerit, amulemur incolas urbis illius, procedamus & nos obviam, quæramus ex eodem: *Pacificusne est adventus tuus?* An ut Agnum, an ut Leonem te suspicere, & suscipere debemus? Num oleam adfers, num gladium? Num pacis ista, num belli præludia? Equidem ponentes unguem in ulcere, sentimus Deo nostro justissimam sæviendi dedisse culpam. Acuerunt heu nimium gladium ipsius scelera nostra, inflammavit fulmina libido, avaritia, impietas; armavit creaturam in ultionem luxus, ac mandatorum illius contemptus. Sed cum temet filium ipsius imbellem, & inermem arbitremur, ominari faustum licet, & percontari: *Pacificusne est adventus tuus?*

Et quid quæso reponit?

Fatur ore ipsius Jeremias Vates: *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* Caduceum, non fulmen præfero, iridem in symbolum pacis, non caraclyfmi furrigere meditor. Explore, lustrate undique regiam meam, sicubi aut gladio præcinctum, aut labarum præ-

ferentem, aut tubâ Martem denuntiantem deprehendere valeatis. Investigate hæc ipsa cunabula mea, num apparatus ullus in iis armorum; num aries ullus, nisi forsitan in vellere? Num catapultæ alia, præterquam straminea; & colligite, *quia ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* Eo consilio corpus hoc non aliunde, quàm virgineis de visceribus suscepi, & habitu inventus sum, ut homo; quatenus humanitatem propalam profiterer. Eo nomine constrictus fascialis, resupinatus sum in præsepio, ut me victum, ac victum vestris precibus nosceretis. Eo fine exceptus in stipula, quò stipularer amicitiaæ fœdera. Eapropter A. A. A. inclamo, ut constet me amare, & amari velle. Sic nasci volui, qui volui diligi, non timeri. Sic venire debui, qui intendi apportare gratiam, timorem pellere, quarere charitatem. Hic finis, & scopus adventus mei.

III. An aliis forsitan indigemus testibus? Aderit illico, aliis posthabitis, magnus ille Præcursor ipsius, & protenso in eum pollice enuntiabit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* q. d. En Agnus in aula caula, inter comites pecudes, in throno fœni resupinatus. En Agnus, qui coram tondente se obmutescet, nec aperiet os suum. En Agnus, qui aufert, non qui plectit peccatum mundi. Ergo Auditores mei, si missus est ut Agnus; si venit mitis ac Salvator; si pacem evulgat, cur Leonem effingimus? Cur Furias, furores, fulmina eidem appingimus? Cur rugitu illius fideles percellimus?

IV. Nihil mirum dicitis, catulum Leonis Judæ unguis abscondere, quum

Christi  
consilia  
pacificæ.  
Jer. 29. 1.

Joan. 1. 29.

per ætatem exerere, & prædam capere nequeat; nihil mirum, si ab uberibus pendulus mansuetus sit; adultus jubar ostentabit, scietque homines devorare.

Protestor, protestor de injuria Agno illata, nunquam is savire visus est, nisi forsitan in mortalium salutem. Protestor, ne quicquam severius fulminasse, quam Leonis oculos, ac vultus.

S. Jacobi  
& Joannis  
zelus.

Evenit, ut ascendenti de Galilea in Jerusalem, & per Samariam transeunti nuntiareretur, à discipulis præcursoribus, proximæ incolas urbis, aditu sibi interdixisse, portasque seris oppilasse. Quò auditò Jacobus, & Joannes ægerrimè ferentes hanc inurbanitatem, perinde ac Leones exarserunt in vindictam, & rugitu, seu potiùs verborum tonitru, Dominum compellarunt: Augustissime Domine, quis tantam ferat tibi irrogatam injuriam? Quis inultum sinet tantum tibi illatum dehonefamentum? si te non tangit cura honoris proprii nobis indulge, quatenus eam tueri, & desuper vindicem flammam devocare possimus. *Vis, dicimus ut descendat ignis de celo, & consumat illos?* Stigma enim illati tibi dedecoris non expungetur, nisi celte fulminea fuerit erasum. Scelus hoc si per clementiam tuam impune transire permittis, contagione quapiam morbida inficiet alios, quatenus eorum animati inurbanitate, ac arrogantia, alibi itidem foras nobis obstruant. *Vis ergo dicimus descendat ignis de celo?* Majestas tua, quæ per rusticitatem ipsorum eclipsata est, tot radiis inclarescet, quot fulminibus per ultionem, ac severitatem fuerit illustrata. Crede nobis Domine, perperam regitur, ubi per cle-

Luc. 9. 52.

mentiam scelera, & audacia invalescunt, nec unquam ulcera palpata, sed recisa, aut excisa sanantur. *Vis dicimus descendat ignis de celo.* Contemptus Eliæ Vati à militibus illatus, eundem ad æquissimum de ipsis sumendum supplicium incendit. Cælum obtestatus est ad suam ulciscendam injuriam, & vix ore prolocutus fuerat, cum vehementior fulminum vis descendit, & quinquagenos, ac quinquagenos, cum primipilo ipsorum momentò temporis in cineres rededit. Num tu inferior es Eliâ, aut minor tibi despectus irrogatus? Quantò itaque justius incolæ isti suppar merentur supplicium, quibus & virtus tua, & gratia illis antea collata, & conversio Samaritanæ, aliâque prodigia perspecta sunt. Liceat proinde pace tua cælum in ultionem provocare, & tantò vehementius in eos animadvertere, quantò tu dignior es Eliâ.

Hæc ubi illi, aut paria pectore felleo egurgitarunt, conversus ad eos Dominus, vultu totò quidem ad clementiam composito, voce tamen paululum severiore eos redarguit. Ah! filii mei, latet vos quantum spiritus meus à vestro, atque ab eo, quò flagravat Elias, discrepet. Nemo sibi unquam persuadeat, quasi venerim ulturus injurias, aut offensas mihi illatas. Non veni, ut judicem, sed ut salvem, & gratiis ac beneficiis onerem. *Nescitis, cujus spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Spiritus, qui me ducit, trahit, impellit, non est Eliæ, vindictæ, supplicii! sed benignitatis, ac misericordiæ. Ille, ille spiritus meus est, de quo Iaias in suis de me oraculis: *Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit me, ad annuntiandum*

Christi mansuetudo. Luc. 4. 17. Ijai. 61. 1.

tiandum

tiandum pauperibus misit me, ut mederer contritis corde, & predicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem, & predicarem annum placabilem Domino. Ille, ille spiritus meus est, qui revocat errantes, refocillat languentes, sublevat cadentes, vivificat morientes. Ille, ille meus est, qui præstabilis est super malitia.

Hæc facies ipsius erat, hic spiritus, quò ille attraxit Apostolos, convertit peccatores, fundavit, stabilivitque Ecclesiam. Cur itaque Leoninam, aut Meduseam potius sufficimus, non tam ad alliciendos, quàm absterrendos peccatores conficimus?

V. Destinavit subinde Apostolos, ac discipulos suos ad eandem venationem, ac fructum animarum accurandum. Destinavit ad lupos rapacissimos, ad belluas efferatas, ad gentilitatem indomitam. Hic sanè opus erat severitate, hic facies, ac rugitus Leonis exposcebatur. Quid autem ille? Ecce, ait, ego mitto vos sicut agnos inter lupos; nec virgam, nec peram vobiscum tuleritis in via. Noverat quippe piissimus, ac sapientissimus Dominus baculo, & facie Leonina, non tam advocari, quàm repelli dispersos; non tam vitam, quàm mortem imprimi.

Evocatus ad redonandum vitæ filium Sunamitidis Elisæus, præmisit puerum suum Giezi cum baculo. Tolle baculum meum, & vade. Morem gessit ille, venit ad puerum, extendit baculum, ponit super eum, inclamat: Puer surge, puer surge. Sed furdo fabulam. Non erat vox neque sensus, reversusque est in occursum ejus, & dixit ei: Non surrexit puer. Mors illum derisit, & præ-

dam dimittere noluit. Venit ergo ipse Elisæus, ponit se supra ipsum puerum, osculaturque: Posuit os suum, super os ejus, & oculos suos, super oculos ejus, & manus suas super manus ejus, & incubuit super eum, & oscitavit puer septies, aperuitque oculos. Quid est hoc. Aud.

Multa alia miracula patravit Elisæus quâ sale, quâ pallio, quâ contactu suo, cur hoc non successit cum baculo, cur virtus ipsius necquicquam operatur in illo, quæ divisit Jordanem in pallio?

S. Augustinus rationem daturus, recurrit ad librum Exodi, ex quo liquet, Ægyptum plagis decem gravissimis, à Moysè jubente Domino castigatam, & ait: Baculus flagellare Ægyptum potuit, resuscitare non potuit. Metu, terroribus, verberibus coercerentur mancipia, non erudiuntur filii. Magnæ est clementia, & mansuetudo ad se alliciens; remora severitas, ac metus à sollicitante avocans. Actum æquè alibi, ac in bello de salute est, ubi timor panicus animos obsederit; Quum itaque hac fronte clementiæ, ac mansuetudinis Assertor noster primùm ad se attraxerit Apostolos, ac discipulos; cum per eosdem sibi subinde mundum conciliaverit, vestro iudicio permitto, an non præstet faciem Agni, præponere vultui Leonis. Præstolentur hunc, quibus ferro asperavit præcordia æther, ego cum viginti quatuor Senioribus Agno advolvor, illum adoro, illum exposco totum benignum, totum mellem, totum ad delicias efformatum. Habere hunc præsentem, dum vivam, concupio; quatenus tandem cum virginibus in campis Elisis illum sequar, quocunque

ierit.  
A 3

S. II.

Matt. 10.  
10.

Severitas  
officit, non  
prodest.  
4. Reg. 4.  
29.

Ibid. v. 31.

Augustin.  
serm. 206.  
de temp.

*Leonis facies commendatur.*

VI. **I**Ta quidem pro vultu agni proponendo, ac præponendo omnibus fidelibus, nonnulli pulvillos supponentes studiosè decertant. Nec ego inficias eo, Christum Dominum Agnum venisse, aut suam ulli clementiam dum vivit, subtrahere voluisse. Id edico, ad novissimum iudicium non ut Agnum, sed tanquam Leonem venturum; & multò utilius nobis esse intueri huius, quàm illius vultum; consultius rugitu huius percelli, quàm balatu illius palpari.

Etenim sanctè credendum, ac profitendum est, divinæ sapientiæ probè comperta esse media, cæteris aliis ad salutem consequendam efficaciora. Sentendum itidem de summa eius bonitate, gestire illam rectissimis itineribus, ac mediis in finem, ad quem conditi sumus, nos provehere. Nec minus de sanctissima ipsius providentiâ persuadere sibi quisque debet, eadem ista media per præcones suos Orbi evulgasse, atque inculcasse. Ipse enim Deus O. M. uno simplicissimoque, immutabili divino suo actu, ac intuitu scit, capit, comprehendit sese, eaque omnia, quæ nobis queunt esse proficua. Ipsius Bonitas citra omnem prope terminum diffunditur, rebus omnibus secundum naturæ convenientiam sese communicatura. Providentiâ verò ac potentia exequitur, quidquid sapientissima, ac sanctissima, divinaque voluntate ad suam propagandam gloriam ab æterno definitam est.

VII. Jam verò quidnam illud est, quod imprimis Increata Sapientia revelare, ac imprimere credentibus contendit? Quibus artibus expugnare præcones suos mortalium duritiem edocuit? Quibus stimulis excitare fœcundiam claudicantium in utramvis partem nititur? Quibus facibus inflammare ignaviâ brumam, inflectere contumaciâ cervices, percellere vivendi licentiam molitur? Non aliis prope, quàm oculis scintillantibus, vultu leonino, districto supremi Iudicis in probos, ac improbos tribunali.

Etenim ab ipsis mundi incunabulis, sub tempus inditæ præcisè legis, diffluentibus jam ad quævis scelera lascivientis mundi profusio, mortalibus destinavit Enoch Prophetam, hoc uno instructum argumento: *Ecce, venit Dominus cum Sanctis milibus suis facere iudicium, & arguere impios de omnibus operibus impietatis eorum.* q. d. Vos, ô perfidi, ariolamini nullam vos vitæ vestræ reddituros rationem, nullis vos urnis esse subjectos, nulla vos manere supplicia; ac scitote, quia veniet Dominus justus Iudex, unâ cum assistentibus sibi Angelis, ac Sanctis suis, oppressos vestra tyrannide vindicaturus, vosque meritis affecturus suppliciiis. Hoc unicum erat exhortationis argumentum, teste D. Juda Apostolo, nec aliud toto illo ævo tractatum reperio.

VIII. In eadem lege divina Providentiâ multa insuper præter vulgatum naturæ cursum edidit iustitiæ suæ argumenta, nec illa uti alia pietatis singularis testimonia sepelivit, aut intra umbras profudit, sed in apico etiamnum illorum reliquias ostentat.

*Iudicii  
metus in  
lege natu-  
ra incul-  
catus.*

*Iuda ep.  
v. 15.*

Gen. 9.

Involvit primo sæculo universam terræ faciem cataclysmo, & tantæ tempestatis monumenta, tum in montibus egestis, tum in conchylis, multis locis extra Oceanum extantibus; tum in ipsa arca Noachea etiamnum spectabili posteritati perpendendas reservavit.

Sap. 10. 7.

In Pentapolim subinde ignem pluvie aërialis immisit, & hujus etiamnum evidentia, & inconcussa visuntur insignia. Nam ut scribit Sapiens: *In testimonium nequitia fumigabunda conflat desertaterra, & incerto tempore fructus habentes arbores.* Quippe & poma (teste S. Augustino) inibi ad maturitatis faciem perveniunt quidem, sed morfu tentata in favillam, corio fatiscente, actutum evanescent. Campus verò, lacusque in locis exustarum urbium, æterna sterilitate damnati sunt.

Aug. lib. 22. de Civ. Dei, c. 5.

In uxorem subinde Loth idem Numen animadvertit, ut respiciens post se, versa sit in statuam salis. Et hæc usquedum à tot sæculis integra, atque incorrupta perhibetur. Immò, referente glorioso Martyre Cypriano, si quispiam in brachio, aut parte alia quidpiam detruncet, extemplò iterum accrescit.

Iustitia divina monumenta cur inconcussa.

Cypr. de excid. Sod.

*Nec pluvii dilapsa sicut, nec diruta ventis;*

*Quin etiam si quis mutilaverit advena formam,*

*Protinus ex sese suggestu vulnera complet.*

Quæso Vos A. quid causæ arbitrâmini, tot tamque funestorum vestigiorum, seu monumentorum? Cur arca Testamenti aliave singularis beneficentiæ te-

stimoniam omnino consepulta, Justitiæ autem tam religiosè custodita? Quid inquam causæ, nisi ut hæc ratione illis sæculis omni literatura destitutis consuleret; ut divinam suam Nemeseum tum illis, tum nobis ob oculos poneret, ut ex illis cineribus conspicienda ad lances ipsius acurius expendendas constaremus; ut ex sale illo prudentiùs sapere disceremus, & cum mundana inundant gaudia, amaritudine instantis judicii eadem temperaremus.

Hoc sine servantur in loco judicii, seu supplicii à terrenis Judicibus pali, rotæ, cruces, aliave carnificinæ instrumenta; hæc intentione præferbantur Romanis Consulibus falces; hæc eadem de causâ proponuntur nobis feralia mortis, judicii, gehennæ insignia, prolegomena, vel phenomina.

IX. Luculentius id patet ex lege scripta, in quo omnes prope Prophetarum hoc idem argumentum versarunt. *Item in lege scripta.*

In Isaia sexaginta sex capitibus vix unum reperire est, in quo illius non fiat mentio. Joël, & Sophonias tam graphicè illud describunt, ut Evangelista potiùs, seu Historiographi, quàm Prophetæ in hoc genere videantur. Malachias finem imponit oraculis suis, verbis adeo formidandis, ut annis compluribus opus sit, ad eorum energiam, ac emphasim explanandam: *Ecce dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & facientes iniquitatem stipula, & inflammabit eos; dies veniens, que non derelinquet eis radicem & germen.* *Mal. 4. 1.*

Non mirum ducet, dicetque quispiam, sub id tempus his fulguribus fulminibusque perculisse illos mundum, quo



quo & ipsi spiritu servitutis laborabant; eoque in quo clamamus: *Abba Pater*, donati non fuerant. Ex quo verò melliflui facti sunt cæli, nectare, & ambrosiâ loquendum; Ex quo Agnus peccata mundi evacuavit, balatu ipsius rugitus Leonis obrundendos esse. Decedit victoriis Agni, quidquid viribus accedit Leonis. Tantum triumphis ipsius derogatur; quantum hujus ferocitati adscribitur. Si Agnus crimina mundi evacuat, incassum ad ea tollenda leoninum jubetur imperium. Spiritu filiorum, profingandus est spiritus servorum; His Leo, illis Agnus proponendus.

*In lege  
Gratis  
fulmen  
idem inten-  
ditur.*

*Matt. 3. 12.  
Luc. 3. 16.*

X. Quid? Ergone in Lege gratia Leo de tribu Juda, ita mutatus in Agnum est, ut rugire dedidicerit? Aliud longè de eo prædictum accipio à Præcurfore ipsius. Audiant, qui aliis palpum obtrudunt: *Veniet, inquit, fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus: Ipse vos baptizabit in Spiritu S. & igne, cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Hem, hiccine est Agni balatus, an potiùs rugitus Leonis? Itane Agnus furores ignorat, qui clibanos immortales succendit? Itane omnes de sua salute præsumere queunt, cum ventilabro discernitur granum à palea?

Alium profectò balatum audimus in ipsius prædicationibus; alium in tot parabolis de malo seruo ejiciendo in tenebras exteriores; de virginibus factis excludendis; de zizaniis vincendis, & in ignem mittendis; de piscibus bonis seligendis, & malis foràs mittendis;

de Lazaro in sinum Abrahamæ deportato, & divite epulone ad sempiternos cruciatus amandato; Alium balatum percepimus in hodierno Evangelio, alium in præterito, alium in aliis. Rarò admodum vultum Agni spectandum in concionibus suis proposuit, quin unà Leonis infereret Dominus.

Hujusmodi rugitu, testante sacrorum gestorum Historiographo, in persona Petri percellere orbem, ab eodem edocti sunt Apostoli: *Ipse, inquit ille, præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo Judex vivorum, & mortuorum.* Ipse, qui nobis dedit prædicandi præceptum, hoc idem præbuit concionis argumentum. Profectò voces istæ, similesque, non tam Agni, quàm Leonis sunt exacerbatiissimi. Non blandiuntur impiis, sed minantur.

Noverat enim Dominus, nimum remissas esse Agni vires, & licentiam vivendi petulantius, non tam tollere, quàm nutrire. Noverat nullum esse dilemma, quod vel plus roboris haberet ad persuadendum, vel terroris ad percellendum, vel virtutis ad vitia extirpanda, præterquam rugitum Leonis, & sonitum tubæ novissimæ. Hoc unum reperit medium, ad confringenda inanum Deorum simulachra aptissimum; ad abolendos nefariæ superstitionis ritus commodissimum, ad novam religionem propagandam, ad Orbem universum sub labarum crucis cogendum efficacissimum. *Quia ipse constitutus est à Deo Judex vivorum & mortuorum.*

*Metus  
efficax ad  
conversionem.*

XI. Appositam huic argumento quæstionem movet Eusebius; quid sibi velit,

Matth. 9.

1. Reg. 16.  
v. 15. 18.

Eus. Emiff  
hom. in 23.  
Pent.

Ier. 23. 17.

Matth. 25.

velit, quòd Dominus evocaturus ab interitu filiam Principis Synagogæ, tibi-  
cines exturbârit? *Recedite hinc.* Elisæus  
vaticinaturus, Psalten experit: *Addu-  
cite mihi Psaltem.* Saul itidem, ut pul-  
santem se Sathanam profligaret, eun-  
dem accersivit: *Providete mihi aliquem  
bene psallentem, ut quum arripuerit me  
spiritus Domini malus, psallat manu sua.*  
Religione insuper veteri, mos receptif-  
simus erat. Quid igitur est, quòd Domi-  
nus cytharedos prorsus, tibicinésque  
amandatos cupit. Nempè à cytharedis,  
orcus non tam extruditur ab anima,  
quàm incantatur. Mors non tantopere  
placatur, quàm exacerbatur, evocatur-  
que tibiâ. *Quamdiu tibiae audivit sy-  
nagoga, mortua fuit,* ait præfatus Au-  
thor, *tua ista tibia eam interfecerunt.*  
Eò præsentio rem mortem expavesce,  
quò dulciùs suaviusque Syrenes tibi in  
aurem modulantur. Tibiæ sunt blan-  
dimenta, ac officia, quibus peccator  
inescatur, ne resipiscat. Tibiarum sonus  
erat ille falsorum Prophetarum: *Pax  
erit vobis, nec veniet super vos malum.*  
Tibiæ sonus est iste, quem instant ut  
plurimum nostri A catholici: Credenti  
salva sunt omnia. Illico, ut anima ex  
corporis ergastulo evolaverit, occurrer  
tibi Christus, amplexabitur, stringetque  
ut filium, invitabit verbis illis omni fac-  
charitate dulcioribus: *Euge serve bone  
& fidelis, intra in gaudium Domini tui.*  
Nullus leo est in via, nullus infernus ti-  
bi, nullum purgatorium timendum.  
Nec crinis ullus tibi incurvabitur, nec  
stipula straminis tibi remoram injiciet,  
nec Eucus ullus vela tua à portu æterni-  
tatis in diversa aget. *Pax erit vobis, nec  
veniet super vos malum.* Tibiæ sonus

est, quem etiamnum alii sibi ludunt,  
auditum fidei à tuba iudicii in obse-  
quium voluptatis avocantes. Sathanas  
quippe videndo, quòd per tyranni-  
dem nequicquam evincat contra ele-  
ctos, vertit ingenium, ferreas catastas  
mutat in aureas, tibiae inflat cum aucu-  
pibus, quatenus volucrem irretiat, eò  
certiùs, quò blandiùs. Verùm, *quam-  
diu tibiae audivit synagoga, mortua fuit.*  
Has tibiae, has assentationes profligatas  
cupit Dominus, ut filia resurgat, ut ani-  
ma tua reviviscat.

XII. De his sub metaphora mellis  
loquitur Sapiens: *Mel invenisti, com-  
ede, quod sufficit tibi,* ne fortè satiatus  
evomas illud. Mel hoc aliud non est,  
quàm mellita verba collecta de rore il-  
lo, quem instantissimis illis precibus SS.  
Parres efflagitârunt: *Rorate cali de su-  
per:* Mel hoc non est aliud, præter il-  
lud, de quo legit Ecclesia: *Mellistui  
facti sunt cali.* Mel est piissima filii Dei  
Incarnatio, merita ipsius, vultus Agni,  
ejusque in nos amor & humanitas. In-  
venisti hoc mel, legis, audis, tractas, li-  
bare potes; ad satietatem absorbere  
non potes. *Comede quod sufficit tibi.*

Nimis, heu nimis elingunt de illo,  
qui omnino faciem Leonis exterminant,  
ut tantò liberiùs se saginent.

Nimis, ah nimis se melle infarcinant,  
qui de divina præsumentes clementia,  
illud unicum sibi occinunt: *Miseri-  
cordiâ Domini plena est terra. Miseri-  
cors Dominus peccatorum meorum non  
recordabitur.* Quantumvis ipsum pro-  
ditorem Iscariotem, Cainumque fra-  
trucidam flagitiis exuperem, peccato-  
rum meorum miserebitur. Sine, genio  
meo indulgeam; sine, cuticulæ, & aqua-  
liculo

Miseri-  
cor-  
dia non so-  
la pensan-  
da.  
Prov. 26.  
16.

Isa. 45. 8.

Fiducia  
infida.

liculo litem, dum mihi vernat ætas, dum genua vigent, dum Zephyrus fortunæ blandioris aspirat Ethæsiis, in alium Voluptatæ provehamur, &c.

Hoc enim verò est mel nimium comedere, hoc est nimia dulcissimi liquoris affluentia strangulari velle. Certò certius est, Deum infinitè esse misericordem, & mel bonitatis ipsius omni ambrosia dulcius; sed una etiam est fel, est justus, *ulciscens in omnes adinventiones iniquorum.* Confidere divinæ pietati bonum, ac sanctum est, præfidere, præsumere, nimiumque mel illud sine penitentia absynthio, sorbere, noxium, ac mortiferum. Sic sumat mel illud unusquisque, ne præsumat; sic fel divinæ Themidos liguriat, ne desperet. Sic faciem Agni contempletur, ut identidem ad Leonis sese obvertat.

*Misericordia ac Iustitia medietas faberrima*

*Isa. 34. 14.*

XIII. Mysterio sanè non vacat, quòd Samson fortissimus ille gygas in prostrati leonis faucibus favum mellis invenit. Unde ipsemet rem, tanquam prodigio plenam, in problema, seu ænigma assumpsit, dicens: *De comedente exivit cibus, & de forti aggressa est dulcedo.* Ego, ut aliorum sapientissimis interpretationibus in sensu mystico propositis super sedem adducendis, haud citra fundamentum insinuatam nobis esse arbitror modum, divini mellis de-

gustandi; ut nimirum id haud asicer, quàm ex ore leonis sumamus, nec speremus nobis fore proficuum, ac salutare, nisi eum felle, ac timore Justitiæ divinæ temperemus.

Itaque præstat intueri vultum irati, quàm placati Numinis; præstat timere, quàm præsumere, præstat mel sumere ex ore leonis, quàm ex ore agni.

Respiciant faciem Leonis justii, & expavescant, scientes nullam columnam in hac mortalitate tam firmam esse, quin subruï possit; nullum lumen tam illustre, quin eclipfibus sit subiectum, nullum thesaurum gratiarum iis obfirmatum repagulis, quin ab infernalibus surripi, & expilari queat prædonibus. Respiciant eandem iniqui, quoniam vigilat super eos vindex DEI gladius, dudum sæviturus in eorum capita, nisi misericordia illius infraxisset. Respiciant universi, & timeant, quia nemo scit, utrùm amore, an odio dignus, & facilè vultus Agni transformari potest nostro vitio in vultum Leonis. Paucis complector, ut eo articulo, quum venerit Filius hominis, in nubibus cæli, cum potestate magna, & majestate contemblemur Agninam, ac placatam; nunc speculemur faciem iratam, ac leoninam. Amen.